









Q. D. B. V

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO

DN. FRIDERICO AVGVSTO

ELECT. SAX. HEREDE, ETC. ETC. ETC

DISSERTATIONE MEDICA INAUGVRALI

CAUTIONES  
IN COGNOSCENDO  
CVRANDOQVE  
HYDROPE NECESSARIAS

PRAESIDE

IO. HENR. HEVCHERO

PHIL. ET MEDIC. DOCT. ANAT. ET BOTAN  
PROF. PVBL

PRO POTESTATE

CONSEQVENDI

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES  
ERVDITORVM EXAMINI

SVBIICIET

AVCTOR ET RESPONDENS

IOANN. BENEDICTVS HOPPIVS

NIMECENS. SAX

A. D. XV. MENS. AVGVSTI M DCC XIII

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS

VITEMBERGAE LITERIS CHRISTIANI GERDESII



PARENTI OPTIMO  
SACRVM  
ESSE CVPIT  
INAVGVRALE HOC SPECIMEN

OBSEQVENTISSIMVS FILIVS

IO. BENED. HOPPIVS





## PRAEFATIO

**H**ydropici periclitantes saepe a medicastri-  
felicius, quam ab ipsis  
Medicis, curantur. Quae res in  
eam ferme opinionem aegros  
adduxerit, melius consultiusue  
esse illis, quam hisce committi  
salutem suam. Id uero, si censuerint, ualde eos hac  
sua opinione falli, necesse est. Qui si recognossent,  
medicastro, aegro uno in sanitatem restituto, uel  
decem alios letho dare, nihil dubitationis esset, fore,  
ut multo sentiant aliter, totoque animo, atque co-  
gitatione, ab illo hominum genere abhorreant. Sed  
audax est, pariter ac praecipitatorum turba:  
euentusque temeritatis unus, itemque alter, exopta-  
tus fiduciam illis, auctoritatemque conciliat, utpote  
quae facilius unius audacis, praecipitataeque medi-  
cati-



cationis felicitate, quam pluribus circumspectae curationis speciminibus, cetera peraeque faustis, comparari solet. Quo fit, ut multorum periculo aegrorum hi ipsi *εμπειρίας* faciant periculum, multorumque strage hominum, qui seruari poterant, uiribus remediorum, in quae forte fortuna incidere, abutantur. Huic autem periculo, ne miser hydropticus salutem suam exponat, neu dubitet, nesciatue, quo sese uertat, aut rationem sui habere negligat, scripto cauendum duxi, et, quoad eius fieri possit, efficiendum, ut neque empiricorum audaciae sese committant aegri, neque Medicorum diffidant meticolositati. Id ne fieret, putavi, elaborandum esse, ut exquirerem cautiones, in adhibendis Hydrophi desperato remediis generosis obseruandas. Sed, dum laborem eum susciperem, multae mihi aliae occurrebant, quae fructum aliquem in curando Hydrope promittere uidebantur, cautiones. Has igitur omnes speciminis inauguralis loco proponere constitui, DEVM O. M. ut hoc labore defungar feliciter, ea, qua decet, animi religione, pietateque comprecatus.

CAV-



CAVTIO I.

Caue, ne incertis fidas nimium Hydropis signis.

Optandum sane, ut omni morbo suum esset signum pathognomonicum, hoc est, proprium, et inseparabile, atque eiusmodi, quod ab ipsa natura morbi fluat. Sic enim nunquam in cognoscendis, dignoscendisque deciperemur morbis. At enim uero, uti huius cognitio Medico summe necessaria est, atque utilissima: sic acquisitu difficillima: suntque pauci perquam morbi, qui, aequae ac Icterus, de certo pathognomónico signo gloriari possint. Hos inter ipse Hydrops, cujus signum prodere infallibile multi quidem, sed conatu uano, atque irritò, studuerunt. Principio ii, ad pedum qui prouocant tumores, insigniter decipiuntur. Tument grauidis sub gestationis exitum pedes oedematoso tumore: at quis dixerit, esse hydropicas? Tument et saepe pedes illis, si qui uel ex acuto, uel ex diuturno, grauique morbo conualescant: neque tamen cum periculo tument. Immo neque tumorem pedum sufficere, ut quis pro hydropico habeatur, neque praeterea liuidum, cachecticumque faciei colorem, et habitum, si modo qua reliquas actiones se non male quis habeat, fuisse admodum RIEDLINVS demonstrauit. Est adeo incertum ille, quem dixi, tumor signum: nec idem, si digiti impressi relinquunt foueas, hydropem solus manifestat. Quod usque adeo uerum est, ut ne eas quidem foeminas, quarum ex catameniorum obstructione laborantium, surae impressorum uestigia digitorum praeferant, iure dixeris hydropicas. Si quis senex habitu corporis pleniore praeditus, Asthmate laborauerit diuturno, ab eodem derepente, idque hyemis tempore, liberatus, mox, ut obseruauit SYDENHAMIVS, in ingentes incidet musculorum, qui sunt in tibiis, tumores, et eos hydropi-



corum aemulos tumorum, insuperque tales, qui hyeme plus, quam aestate, tempestate pluuia magis, quam serena inualefcant. Iidem uero illi, nihil sunt minus quam hydropici, cum sine insigniore incommodo aegrum afficiant, licet uel ad Libitinam usque eum comitentur. Neque signum tumore magis fidum urina est: et necesse est eum, qui ex solo hoc liquore sese Hydropem inuestigare posse putet, aut non adeo multos uidisse hydropicos, aut plus promittere, quam praestare queat. Licet enim hydropici urinam fere reddant iusto plus tinctam, ii praesertim, qui iusta mensura non excernunt: sciendum tamen, talem et reddi in aliis corporis affectionibus. Est etiam, ubi uel naturali similis, uel cruda in hydropicis urina reperiatur: atque, utut hydrope affecti lotium plerumque tinctum, ualdeque lixiosum emittere soleant: solet tamen et euenire nonnunquam, ut, quo in majus crescat, augeaturque tumor, hoc magis naturalem induat colorem. Ex quibus efficitur nihil minus, quam obscoenum liquorem praebere certum atque indubitatum Hydropis signum. Cuius fere generis signum, ad quod alii prouocant, et aquarum strepitus est fluctuantium, corpore aegro ex uno latere in alterum prouoluto, subortus. Huic quidem et ipsi fidendum parum. Tametsi enim, ubi praesto est, ibi Hydrops latet: tamen, sicubi abest, non ideo, quia abest, abest et omnino semper Hydrops. Accidit Hydropi illa fluctuatio: non proprium, pathognomonicumque eiusdem est signum. Soli competit Hydropi: at neque omni, neque semper. Fallit certe Hydrops, qui dicitur, infaccatus, id est Ascites, qui aquas ueluti cistulis comprehendit. Hydropem autem accurate si uelis noscere, neu in eo exquirendo decipi, complura, oportet, animadvertis signa, & ea Hydropi tantum non semper coniuncta. Tumor, spiritus difficilis, nausea, inappetentia, sitis intensior, urinae inopia, foedus faciei color, ac liuidus: haec omnia, aut horum pleraque, in aegro si adsunt, Hydropem adesse credas.

CAV-



## CAVTIO II.

**C**ave, ne quaeuis corporis intumescencia uideatur Hydrops.

Ex causis multis : a flatibus, a veneno, a pinguedine, ab imprægnatione, intumescit venter. A flatibus ita, ut et pressui renitatur, et pulsus sonitum, instar tympani, edat, et doleat non parum, praetereaque et pectoris anxietates, et febrim tumori coniunctam habeat. Quae ubi ingruunt, ibi non Hydrops, sed Tympanitidis adsunt indicia, quae non, nisi iniuria Hydrops dici potest. Nec enim fons et causa ibi tumoris aqua, sed flatus. Quod si qua flatibus nonnunquam iuncta est humorum extrauasatio, pedumque pariter intumescencia, illa tamen non tam ad naturam morbi pertinent, quam ad effecta. Quapropter cum Tympanites a solis, teste anatomico DOLAEI, aliorumque cultro, sit flatibus, percussique uentris sonitus flatus prodat hospites, male confunditur cum Hydrope.

A ueneno ubi tumor oritur epoto, est ille subitaneus, hominique, de ualetudine antea non conquesto, superuenit, horrendis stipatus symptomatibus, iisdemque pariter ejusmodi, quae fauces, in primisque uentriculum affligunt: ardore, strangulatu, deglutiendi difficultate, conatibus uomendi: partim talibus, quae in torminibus, cruciatibusque intestinorum, singultu, uomitionibus, deiectionibus, aestu interno, uertigine, respirandi difficultate, palpitatione cordis, idque genus aliis consistunt, ac tandem omnia in lipothymias, conuulsionesque, et ipsam denique degenerant mortem. Ex quo facile potest intelligi, quantum portionata differat intumescencia ab hydropica, quippe quae non repente, sed sensim incrementa capiat, et cachexiam habet praeuiam, et symptomatibus non tam grauibus, tamque celeriter ingruentibus stipetur. Illud uero dictis non derogat fidem, quod  
et



et Hydropem praecipitem, et de improvise subnatum, legamus hinc inde scriptum. Quod ut maxime eueniat nonnunquam, tamen et causae intumescendae hydropicae, multo sunt euidetiores causis tumoris eius, qui a ueneno est, et symptomata illius a symptomatibus huiusce multum diuersa: quae duo subortam a potu ueneni intumescendiam confundi cum hydropica uix patientur.

Dixi initio, et a pinguedine uentrem intumescere. Atque hoc etiam tumoris genus in errorem coniecit quosdam, ut crediderint, aquam subesse intercutem. Scriptum est ab HOECHSTETTERO, uiduam quandam obesam, tumidamque habitam esse pro hydropica: habitam uero propter et molem ab dominis, et pedes oedematosos. Fuisse igitur et curatam more eo, quo hydropici solerent: sed in cadauere secto ne unum quidem sericyathum repertum. Non tamen ab omni pinguedine abest Hydrops; et ut pinguedo Hydropem mentitur non raro; sic interdum occultat usque adeo, ut pragmaticis imponat vel experientissimis. Atque fucum aliquando fecit experientissimo ipsi RIEDLINO, qui ipse non diffitetur, mercatorem aliquem et obesum, et crassum, qui, cum florido gauderet colore faciei, nec appetitum haberet prostratum, nec alia ostenderet signa, Hydropem alioquin indicantia, praetereaue uix tres decumberet hebdomadas, pro hydropico haberi uix potuerit, hydropicum fuisse, talemque demum nouem ante obitum diebus, orta de improvise Hydrocele, mensurisque decem seri flauis ex mortui secto cadauere effluentibus, cognitum: eamque rem satis tandem RIEDLINVM edocuisse, Hydropem posse adeo, ut decipiat Medicos, sub pinguedine latitare. Ceterum tales ut euitemus fallacias, ad uiuacitatem, oculorumque uigorem respici iubet DOLAEUS, quippe quo ipso obesi ab hydropicis discerni facile possint. Cui *κρίτηριον* ego adiungo illud, quod Lydil instar est lapidis in morbis cunctis dignoscendis, generale semioticum praeceptum: Non ex signo uno, sed pluribus ferendum de genere morbi iudicium.



cium. Quare, si obesi moles corporis augeatur insigniter, si spiritus ducatur difficilior, si denique urina mittatur parcior, tunc, in super habita obesitatis cogitatione, debellando Hydropi manus admoueat.

Denique, ut tumor gravidarum saepissime fallit Medicos, satis etiam cautos: ita sollicita adhibenda est cura, ne hac in parte dent se turpiter, pariter ac cunctorum sese et risui, et contemptui exponant. Quoties gravidae pro hydropicis? contraque quoties hydropicae pro grauidis habitae? Quod ne fiat, eo cauendum magis, quo plures scimus Medicos, in arte consummatos, in hac parte lapsos. Quoties puellae uersipelles, quo diutius famam pudicitiae sustineant, pro hydropicis sese, cum nihilominus ferant uterum, gerunt? quoties feminae hydropicae uterum ferre, quem ignorant ipsaemet, uidentur? Quare sedula nauanda est opera, ne uel abortus credulitate prouocetur, uel ipsa aegra cunctando euertatur. Vtraque ceteroquin feminarum genera variis facile rebus discernuntur. Grauidis quidem firmus est habitus corporis, color oris, uultusque uiuidus, splendor oculorum conueniens: hydropicis nihil horum. In grauidis tumor abdominis leuatur sursum ad praecordia, estque idem inaequalis: in hydropicis contra pars abdominis inferior intumescit: inque hac parte tumor ab omni parte aequalis, nonnunquam et oedematosus. In grauidis mouetur foetus: in hydropicis flatus. In grauidis nunquam sensus fluctuantium aquarum: in hydropicis nonnunquam. Urinae quoque grauidarum crassae, turbidae, copiosae: hydropicarum parcae, et eae uel tenues, uel colore tinctae. Grauidas moles illa, quam in utero gestant, uix grauat: hydropicas aqua multum. Nec grauidas sitis urget intensior: hydropicas uehementissima. Porro grauidas destituunt menses: hydropicis saepe fluunt. Accedit, quod grauidis mammae intumescant: contraque hydropicis detumescant. Summatim denique ut dicam, signa Hydropis omnia, ac singula sedulo, diligenterque cum signis grauiditatis probe uidentur contendenda,



tendenda, etiamque, atque etiam, utra eorum praeualeant, animaduertendum. Sic enim fiet, ut nunquam te, nec ab aegra ipsa, nec a morbo decipi contingat. Adde, esse praeterea alias tumorum formas, et illas feminarum proprias, quae Hydropem mentiantur. Nonne carnes ac uiscera tantum in abdomine augetur saepe, ut uentrem non extendant minus, quam solet intercus humor? Exempla si uis, Lector, adi EPHEMERIDES GERMANORVM. Nonne flatus, cum non tumorem solum; sed et alia impraegnationis signa pariunt: tum uiduas cum primis, seroque nuptas puellas exercent usque eo, ut non minus suo ipsarum, quam obstetricum pariter Medicorumque iudicio nunc pro gravidis, mox pro hydropicis habeantur, usque adeo, quoad uenter eodem, quo intumuerat, gradu sensim, paulatimque detumescat, uanamque de affectione eludat coniecturam, aegraque uel infantis, uel aquarum eiectionem geminans pedat, Aeoliumque in lucem edat partum, qualem ZACVTVS LVSITANVS et HARVEVS obseruarunt? Veruntamen et hosce euitauerit scopulos Medicus, ac syrtes, quisquis caute diuersorum signa affectuum inter sese compararit.

### CAVTIO III.

**C**aeue, ne negligas inquirere in signa causarum.

Haec uero inquisitio tam est difficilis, quam utilis. Bonum, explorata habere signa morbi: melius, signa causae morbi. Nec enim tollitur, nisi sublata causa, effectus. Haec enim uero tolli non potest, nisi cognita: notam autem faciunt signa. Quod si itaque in curandis morbis ante omnia respiciendum ad causam, tum profecto prima debet esse cura signorum causae, quippe  
sine



sine quibus causa neque peruestigari, neque tolli potest e medio. Ea tandem non sublata, non pelletur, sed manebit morbus. At enim in hoc genere magnopere laborare Semioticen et est uerissimum, et uiri cordati non diffitentur. Quantum igitur fieri potest, elaborare oportet, ut consequamur causarum signa. Neque prognosis enim, neque curandi ratio sibi constabit, sicubi, unde malum suam trahat originem, et a qua foueatur causa, ignoretur. Haec probe ponderasse iam olim HIPPOCRATEM, ipse loquatur Hydrops, de quo COVS sic scripsit: *Quibus ex Ilibus ortum habet Hydrops, iis pedes intumescunt, eisdemque diuturna alui profluvia comitantur, quae neque uentrem inaniunt, neque dolores soluunt: at quibus ex hepate Hydrops est, iis tussis facile fit, pedes tument, aluus dura reddit, et ea ui tumores circa uentrem sunt modo dextra, modo sinistra parte, iique rursus quiescunt.* Scilicet proprium, & peculiare Hydropis ex inflammatione et aestu partium in ilibus signum est alui profluum pertinax, quod dolores non soluit succrescente noua cacochymia: quemadmodum alui siccitas, et tussis arida Hydropem indicat, qui ab hepate fouetur. Si ab aliis partibus, in abdomine affectis, serumque in ipsius cavitatem fundentibus, Hydrops, signa quaerenda partis affectae, de qua re Cautione, quae sequitur. Hoc loco etiamnum monuisse iuuat, ad indagationem causarum conferre plurimum, si ad ea, quae antecesserint, diligenter attenderis. Etenim, si quis uel aquam, uel liquorem quemcunque auidius hauserit, ille potus in primis uis subsistens Hydropis euadet causa. Si quis Quartana laborauit diutina, in liene, uel in mesenterio latere uitium credibile. Scirrhi quoque uiscerum suis noscuntur signis, de quibus SENNERTVS praecipit, mature explorandos esse, antequam uenter nimium intumescat, tumorque tunc impediatur, ne abdominis interiora pateant tactui. Porro ad alios si respexeris morbos, quibus superiori tempore laborauerit aeger, et illi ipsi signum aperient causae Hydropis. Quod si a uasis ille prouenerit ruptis, praecedit



eum uel uomitus sanguinis, idemque causae index, ac proditor, uel excretio alia sanguinis. Sin ab rene exulcerato, tunc ferme in urina nonnihil cernitur puris, tunc mictio est parcior, imo, si uterque renum fuerit exulceratus, parcissima: sin a rupto per calculum uretere, tunc et malum surgit subito, et parcior urina mittitur, et dolor insignis ea in parte, cum primis ante ruptionem, fuit perceptus. Plura restant causarum signa, quae ut exquiras, attendas partim ad res non naturales, corpori uel applicatas, uel applicandas, partim ad *ἰδιοσυγκρασίαν* aegrorum, partim ad ipsam effectuum naturam in sensus incurrentium. Hoc pacto inuenies, quod quaeris.

### CAVTIO IV.

**C**aeue, Hydropem uni soli semper adscribas uisceri.

Aliter existimant Medici cum ueteres, tum recentiores. Hydropem omnem esse ab hepate male affecto, praeter GALENUM docuit et AVICENNA, et AETIVS, et asseclae, qui ad unum omnes et proximam, et praecipuam Hydropis causam posuerunt *ἀμνάωσιν* hepatis, intemperie uisceris frigida, laesam: renes contra esse omnis Hydropis artifices, sibi persuasit HELMONTIVS, a quo nihil dissentit CAROLVS PISO: lymphatica uero rupta uasa in primis uidentur accusare recentiores. Ab his cauendum opinionibus omnibus, nam a ianua aberrant. Vasa quidem lympham uehementia non unci sunt scaturigines, si quodam in corporis alueo colligantur effluentes aquae; cum & per poros partium humor transsudare, confluereque ex iisdem possit, et circa fines arteriarum erumpere, forsan et aliis modis colligi. Putamus uero uel eam ob causam ab hac hypothese cauendum, quod ea in absurdam illam opinionem coniecerit nonnullos, quod hydro-



hydropici ferme omnes, ob uasa rupta lymphatica, remediis restituendi sint uulnerariis, atque ad instar uulneratorum tractandi. Nihilo uero rectius statueris, renes hac in parte accusandos esse, licet cum maxime Hydrops saepe per urinae fluxum soluatur: licet etiam renibus laesis, debilitatis, obstructis, inflammatis, exulceratis, crebrior fuerit animaduersus Hydrops, miſtumque sanguinis diuturnum saepe sit secutus. Haec enim argumenta sunt particularia, et talia, quae propositionem uniuersalem non pariunt. Aduersum docet cum autopsia, quae hydropicos sine laesis uidit renibus, tum experientia, quae sine diuresi restitutos, diuresi perditos nouit hydropicos. Ad hepar quod spectat sigillatim, scias uelim, et MAVRITIVM CORDAEVM, et FRANC. TIDICAEVM et VESALIVM, et WILLISIVM, et BARTHOLINVM, aliosque, de nostris obseruationibus ut taceamus, in hydropicorum sectione hepar saluum, ac illaesum obseruauisse. Vix etiam crediderim, eos, quibus paracenthesis subitum tulerit auxilium, quique ex insperato reconualuerint, uti nec eos, quibus repente accidit Hydrops, hepar habere potuisse laesum. Quod enim aliquot quaerunt in eo sententiae suae praesidium, quasi hepar consensu lienis male afficiatur, nihil est. Eo enim casu non ab hepate, sed primario a liene fuerit Hydrops: id quod tamen contra dissentientium est hypothesin. Tum neque id uerum est, Hydropem a liene oriri non posse, nisi hepate simul corrupto: reclamant cadauerum humanorum sectiones. Illud autem longe uerissimum, si ab hepatis frigida, quam quidam uocant, temperie unice Hydrops, nunquam BENIueniVM, DODONAEVM, LANGIUM aliquot ab Hydrope, potu frigidae largissimo, liberatos fuisse uisuros. Ac ipsamet hac in parte sibi non constat, atque a se ipsa dissentit antiquitas, et artis ipse parens nunc scribit, Hydropem ab iliis, aut inanibus locis, nunc a liene male affecto oriri posse. Quae res procul dubio sub seculi decimi septimi initium mouit SYLVIVM LANCEANVM, ut peculiari libello ostenderet, Hydropem non semper a iecore fieri. Omni



uero dubio procul eos, qui hepar tantum non semper accusarunt, communis decepit error, quo omnes fere occupati sic statuerunt, hepar esse uerum sanguificationis organum. Nos, meliora edocti, aliter censemus, cum praesertim non desint exempla, quae doceant subiectum causae nonnunquam esse aliud, praeter uiscera commemorata; esse autem nunc cor, nunc mesenterium, nunc pancreas, nunc uiscera, glandulasque alias, a quorum laesione omnium Hydropem ortum BAVHINVS, HORSTIVS, TVLPIVS, WEPFERVS, DIEMERBROCCIUS, LOWERVS, BONETVS, alii, animaduenterunt. His itaque de causis caue ad solum hepar confugas. *Frustra enim, ut a SENNERTO scriptum est, soli hepatis adhibentur medicamenta, cum ab alia parte affecta principium ducit Hydrops.*

## CAVTIO V.

**C**auere, ne sis nimis tumidus, neque nimis timidus in praedicendo Hydropis euentu.

Elati erit animi, et nimis gloriosi, promittere hydropicis salutem, uisceribus corruptis. *In lethali enim Hydrope, ut CAROLO PISONI loqui placuit, semper uiscera haec, uel illa, tumida, maleque affecta.* Quod si uerum est, id quod HIPPOCRATES uult uerum esse, eum, qui ab Hydrope uelit reualescere, oportere esse εὐσπλαγχνον, erunt profecto Hydropes cum uiscerum corruptela conjuncti periculosissimi, si non plane capitales. Scilicet non raro contingit, ut Ascites inueteratus diutina aquarum in uiscera incubatione substantiam eorum euertat, et, cum SYDENHAMIO ut loquar, quasi semicoquat, et tam ipsa uiscera, quam partes uicinas corrumpat penitus, excrescentias praeternaturales, et

vesi-



uesiculas sanie turgidas generans, et omnia intra abdominis  
 cauitatem contenta in putrilaginem quasi quandam conuertens:  
 prout in eorum cadaueribus, qui Ascite inueterato sunt inter-  
 empti, sectio patefecit. Morbus igitur, ad hunc gradum pro-  
 uectus, artis subsidia, quantum uideo, contemnit. Nimis quo-  
 que praecipitanter agunt, quotquot aegris, quibus pustulae in  
 cruribus nimium tumidis erumpunt, sponteque aperiuntur, pro-  
 mittunt exinde salutem. Nam uel, antequam aquae omnes  
 effluxerint, striae, aut maculae rubicundo liuidae in cruribus  
 enascuntur, certa gangaenae sphacelique praesentis, ac paulo  
 post subsequaturae mortis praesagia; uel crura tam diu humorem  
 fundunt serosum, acrem, donec omnes aquae, quae sunt in toto  
 corpore hydropico, una eademque effluxerint uia, eademque ope-  
 ra tumor omnis euanuerit. Ita uero fit, ut saepe simul cum aquis  
 ipsa effluat uita, siquidem fluido neruorum dissipato, neque fibras  
 cunctas amplius occupante, circuitus sanguinis primo horis sin-  
 gulis debilitatur, tum prorsus ac omnino cessat. Adeo breue  
 est eorum, qui ab aqua per extrauasionem, effusionemque li-  
 berantur, gaudium! Aut breui, ut dixi, extinguuntur, aut breui  
 aquis denuo collectis fit Hydrops, morbusque, ut de renato pro-  
 nunciauit HIPPOCRATES, desperatus. Si quod est genus aegro-  
 rum, est sane hydropicum, quod uidetur uelle, et optare, ut pro-  
 lixam amplissimamque spem faciat Medicus. Nam quamuis  
 perpauci satis Hydrope grauiore liberantur, idque felicitate sae-  
 pius quadam, aut Dei potius, ut ARETAEVS uult, quam artis auxi-  
 lio: hoc nihilominus plures eorundem, Hydrope correpti, ui-  
 uendi cupiditatem, pariter et mali ostendunt tolerantiam plane  
 singularem: idque faciunt non tam quadam uel animi alacritate,  
 uel spe, quam ipsa morbi natura inducti. Neque uero tam licet  
 eius cupiditatis reperire causam, quam mirari, qui fiat, quod, cum  
 in aliis, iisque non tam periculosis affectuum generibus, abiicere  
 animum aegri soleant; in Hydrope solo cum tam longas spes  
 concipiant, tum tanta uiuendi cupiditate teneantur. Verum  
 enim



enim uero haec cum ita sint, tamen non nimis applaudendum duxerim miseris. Nec eos quicquam iuuerit ista palpatio, et facit uanitas promissorum, ut uel pro impostoribus, uel pro idiotis habeantur Medici. Hoc euitabitur dedecus, si tunc uel parum, uel nihil promittetur, cum tussi diuturnae superuenit Hydrops, aut Hydropem tussis diuturnior comitatur: cum obstructions uiscerum et glandularum sunt pertinaces: cum urinae sunt paucae, lixiuiales, & ualde tinctae: cum appetitus admodum prostratus: cum sitis Tantalea, uiresque debiles, et nulla ad sudandum procliuitas: cum, haud obstante remediorum usu, tumor in abdomine et cruribus indies augetur: cum Icterus Hydropi superuenit: cum Febris uel ardens, uel quartana, uel Coeliaca, porroque Dysenteria, Arthritis, Orthopnoea in Hydropem degenerat: cum aluus per purgantia cieri nequit, aut, si cum maxime soluatur, malum tamen ea ex re nec minimum remittit: cum nulla in uentre percipitur aquarum fluctuatio: cum pulsus est concitator, magnusque corporis calor, et macies: cum ulcera in ore oriuntur: cum Ascites fit recidiuus: quando denique Hydropi confirmato aluus succedit nimis cita. Est in uniuersum hoc sciendum, incertum esse, plenissimumque aleae Hydropis exitum: potestque illud, quod uulgo dicitur: acutorum morborum incertas esse praedictiones, ad hunc nostrum etiam chronicum accommodari. Quoties enim hoc correpti affectu, quibus uel restitutionem in integrum, uel complures uitae dies aut hebdomadas promitteres, subito uel inter manus concidunt, eodemque, quo promitteres, die opinionem fallunt tuam, ac fati cedunt? Contra et huic rei aduersum saepius usu uenit, et teste constat experientia, diu superuixisse, quos illico decessuros indubitanter affirmasses? Quae experientia eos et redarguat, et erigat Medicos, qui nimia meticulositate sua sese dant turpiter, ac multum uerentur ac metuunt, ubi metuendum parum, uel nihil. Loquitur res ipsa, loquitur medicantium obseruatio, multos hydro-picos, uel maxime pro derelictis habitos, fuisse seruatos. Atque

que



que uel unus timidis HELMONTIVS addat animum, se solum amplius bis mille restituisse hydropicos professus. Sit difficilis in hoc genere curandi ratio, non illico cuncta spes salutis abiicienda, more HERACLITI EPHESII, quem Medicos ex Hydrope laborantem inuisentes, derisisse ferunt, interrogantem: Nunquid ἐξ ἐπομβρίας ἀρχμὸν! ex pluuia siccitatem? At eundem postea Heraclitum, ubi sese fimo bubulo illitum soli siccandum exposuisset, capientem somnum a canibus laceratum esse. SORBAITVS imitandus potius, qui, ad hydropicum uocatus, cum Medici quatuor non incelebres illud C. AGRIPPÆ: *Rec. Testes num. vii. Fossores cum ligonibus num. ij. Vespillones num. v. Sacerdotem cum aqua et oleo benedictionis n. j. dispone domui tuae, et moriere*, praescripissent, tamen desperare noluit, sed, pulsu arteriarum tali animaduerso, qui mortem nondum denunciaret, curationem magno animo, maximaque spe pleno, aggressus, aegrum praeter omnem spem, atque expectationem omnium Medicorum, ab hisce prognostico relictum, in pristinam restituit sanitatem. Ad uim uitae, naturaeue respexit Medicus sagacissimus, quae, ubi superior ui morbi fuerit, raro solet destituere audaces. In senibus certe difficillimam Hydropis curationem esse, plerique omnes Medicorum censent. Verissimum enunciatur; sed ita, ut ne ad senes omnes rapi possit. Memorat RIEDLINVS hydropicam septuagenariam, hydropicumque totidem annos natum, quos narrat feliciter restitutos. Usque adeo uerum est, in desperatissimis casibus non esse desperandum, cum saepe praeter opinionem tales in aegrotantium orientur corporibus conuersiones, quae, uel inuito Medico, & omnem despondente animum, aegrum bene ualere iubeant. Quod si uero in casu grauiore caute, hoc est dubie prognosin formare prudentis est Medici, quanto minus tunc pronuntiabit timide, ubi aeger firmis est uisceribus, uiribusque fere integris? ubi cibum auide capit, et facile digerit, nec ab ingestis affligitur? ubi recte spirat? ubi non dolet? ubi tussis abest? ubi sitis intensior?



tenfior? ubi lingua ne a fomno quidem exarefcit? ubi alius non admodum cita, fed naturae conueniens, & medicamentis facile obfequens? ubi propinata pharmaca copias aquarum cum euphoria euacuant, uenterque dehinc detumefcit? ubi pro modo, ac ratione uictus mutationem urina fubit? ubi ex renum pigritia Hydrops emergit? ubi laffitudo fubefl nulla? ubi uigor aetatis? ubi malum non diu coepit, et fi qua funt eius generis alia plura? Haec, haec inquam, omnia fi probe ponderauerit Medicus, is uero magno, excelfoque animo una cum SENNERTO pronunciauerit: *Si haec omnia adfint, bene fe habet: fin pluri- ma, aliqua conualefcentiae fpecs efl: res uero tunc desperata, fe nulla.*

## CAVTIO VI.

### De methodo medendi caute uidendum.

Attingam hoc loco quaedam, leuiterque perstringam: reliqua ex iis, quae fequuntur, Cautionibus patebunt. Videntur ii parum cauti, fi qui iactent medicinam omni fuperando Hydropi parem. Vana efl ifthaec oftentatio, et crassae fufpicionem ignorantiae affert, nescientiamque prodit tot, tamque uariantium, unde emergit Hydrops, caufarum. Ne dicam, eripere occasionem fanationis, quae fperari poterat, fi alia remedia in medium conferrentur. Ea efl huius indoles affectus, ut praecipitem faepe flagitet opem: quale eripitur auxilium, fi qua Panacea putatitia adhibeatur. Ad caufam morbi refpiciendum ante omnia: atque ut illa in omni affectu potefl efl uaria; ita nulli morborum generi unum, idemque conuenit femper remediorum genus. Vnde haud parum quoque peccant, fi qui pharmaci cujusdam antihydrici uim, uirtutemque, plus uice fimplici experti, eandem in omni Hydrope, et perpetuam fibi fingunt. Ipse SYDENHAMIVS, dum ingenue fe iflum hoc nomine

nomine



nomine redarguit, eadem simul opera tacite notat alios, talem ob confidentiam inconsultam, his uerbis: *Equidem probe memini, cum primum ad Hydropem curandum inuitarer, me annis abhinc XXVII. aut circiter, ad matronam quandam piam, ac honestam fuisse accersitum, cujus abdomen Hydrops, quo atrociozem nondum uidi, in molem magnitudinis uix credendae euexerat. Huic ego Syrupi praedicti de Spina ceruina unciam unam ante prandium, qui tunc mos obtinuit, exhibui: credi uix potest, quam magnam aquarum uim per sedem deturbauit, idque nullo excitato tumultu, absque ulla uirium aegrae iactura. Quod mihi animos addidit, ut eundem quotidie repeterem, nisi quod diem unum alterumue intercalari paterer, si quando paulo infirmior uideretur. Atque ita, aquis sensim eductis, uenter indies detumuit, ipsaque prorsus conualuit. Ego fiducia plane iuuenili, atque hominis inexpertus credebam, me eiusmodi medicamen possidere, quo Hydropes quoscunque possem debellare: uerum huiusmodi erroris intra paucas septimanas admonebar. Cum enim non ita diu post ad aliam feminam, eodem morbo laborantem, qui feбри quartanae diuturniori superuenerat, medicinam facturus, accederem, eundem syrupum propinaui, quo saepius repetito, et dosi gradatim aucta, morbum laceffebam: at, cum aquarum euacuationem frustra tentarem, catharsi non procedente, tumore autem uentris magis aucto, missum me fecit aegra, atque alterius Medici ope, qui remedia efficaciora adhibuit, si bene memini, sanitatem recepit. Atque ita nimium quoque tribuisse Absynthio WALDSCHMIDIUM, quando scripsit: Omnes formulas antihydricas ingredi debet absinthium, ad quamcunque etiam intentionem obtinendam praescribantur, mihi omnino uidetur. Cauendum hinc, ne unice de aqua, in abdominis cauitate collecta, euacuanda simus solliciti, neglecta causa, ex qua fuerat aqua collecta: ut qui neglectus uidetur causa esse inprimis, cur pauci admodum in sanitatem restituantur. Plerique enim omnes primo statim aditu aquas eliminant, eoque ipso nihil aliud efficiunt, quam ut remediis fortioribus*



uiscera debilitent : ceterum, quae aquarum sit causa collectarum, non inquirunt, neque, quomodo ei obuiam eundum. Quamuis autem in curando causae ante omnia, atque eo sint tollendae ordine, quo sese in Hydropis generatione excipiunt, ac subsequuntur, adeoque ab eius remotione causae, ex qua aqua colligitur, curandi ratio auspicanda uideatur: id tamen fit frustra in Hydrope confirmato, et ubi aqua pertinacissime abdominis occupat cavitatem. Quo enim ibi restat diutius, hoc magis corrumpit indies uiscera, ac labefactat. Hoc itaque casu faciendum, ut aquarum colluies ante omnia eliminetur. E contra Hydrops recens, incipiensue fert eam medicandi rationem, quae causarum ante omnia respicit remotionem. In eo enim si causae occurratur, tunc humores sua sponte et dissipantur, et absumuntur. Ex dictis tandem efficitur, non semper, aquis euacuatis, absolutam esse curationem. Tantum abest, ut semper absoluta sit, ut saepissime ne dimidia quidem parte perfecta. Est scilicet in primis sanguinis et debilitati, et prauitati, qui primus mali fons est, & longo, & assiduo medicamentorum calefacientium, corroborantiumque usu subueniendum, eaque prouidendum ratione, ne alius ex alio consequatur undarum prouentus. Accidit saepe, ut aegri iuniores, aquis rite eiectis, ex morbo conualescant, nullo, factae deinceps medicinae, praesidio, subleuati: at contra fit uel in prouectioribus aetate, uel in languidis, uel infirmo corporis habitu praeditis. Ibi calor, uigore naturalis fungitur eorum, quae dixi, uice remediorum: hic et praemittenda eadem aquarum deriuationi, et statim subiicienda. Adeoque in ipso euacuationis negotio non negligenda, sed una cum purgantibus, idque alternis diebus, propinanda alterantia, et calorem uiscerum natium instaurantia, et obstructions relaxantia. Vt haec enim multum ad uiscerum robur conferunt: ita relicta causa collectionis serosi humoris, hic ipse breui recolligitur. Immo est etiam, ubi ad sola roborantia confugiendum. Si qui enim cachexia laborant inueterata, et

uel-



ueluti sunt euiscerati, iis neque conueniunt cathartica, nec diaphoretica, nec ulla alia remediorum genera, exhauriendis alioquin aquis, ut maxime accommodata, sed sola danda corroborantia: quanquam et haec ipsa non sine cautione. Si qua fitis non urgeat maior, confici consultum fuerit ac utile ex aromaticis, salinis, oleosis, calidis, forma electuarii, misturae, uini medicati, zythi medicatae, pilularum, decoctorum, syruporum, tabellarum: sin uexet sitis ingens, causaque mali fuerit calida, morbusque cum febris continua, quod saepe fieri assolet, coniuncta, opus est, quo uis uitalis fortius lympham circumagat, cardiacis eius generis, quae dicuntur reficientia, id est, acidis gratis, et leniter aromaticis. Possent alioquin quis, lege indicationis, talem inire medendi uiam, ut dicat, causam continentem, siue coniunctam, hoc est, serum extrauasatum, et quod locum mutauerit naturalem, sui requirere restitutionem ad canales suos, et receptacula consueta. Sed a tali abstinendum ratiocinio. Nam quia serum, a cruore secretum, non facile cum hoc in gratiam redit, in primis si quam corruptelam contraxerit; nec uasa ipsius moli reiectae recipiendae sunt paria, multoque minus patent remedia, quibus serum, si forsan tumores oedematosos recentes, et exiliores exceperis, canalibus impelli ualeat, non tam reductioni, quam educationi eius hic loci uideretur esse locus. Quae quidem educatio cum fieri debeat quam celerissime, ne ex diuturniore eius in compage partium retentione tonus harum nimium laxetur, in uentribusque uiscera laedantur, erodantur, aut quocunque modo corrumpantur, ultro patet, cauendum esse insuper, ne humorum uiscidorum resolutioni diutius, quam par sit, demus operam, sed opportune de euacuatione cogitemus. In uniuersum ad praeualida medicamentorum genera non descendendum esse, nisi mitiora non profuerint, est quorundam cautio: ego, qui eandem non in solidum probauerim, ponam aliam, quae meliori iure uniuersalis dici mereatur, cautionem, quae haec est, quod, si cachecticos fere



consummatos Hydrops aggrediatur, iis remedia nunquam sint exhibenda uiolenta. Sunt enim tantum non semper funesta, et exitiosa. Postremo, si libeat ad formulam curationis respicere, reperias, qui sedulo moneant, cauendum esse, ne utaris forma medicamentorum fluida, sed omnino sicca, ne aquosi humoris augeatur moles. Quam quidem cautionem ut non damnandam prorsus; ita nec probandam per omnia egomet existimem, qui sciam, dari et medicamenta aquosa, exempli causa decocta ligni Sassafras, ligni Guaiaci, cortic. ligni Guai. fabarum Coffee tostatarum, eademque admodum proficua usque adeo, ut exsiccantium promeruerint nomen, eo quod exhaurire magis, quam augere fontem Hydropis uideantur.

## CAVTIO VII.

**I**n Hydrope nihil dandum magis caute, quam purgans.

Quo et usitata, et frequentiora purgantia in hac curatione; eo maiorem prae remediis reliquis requirunt cautionem. Sunt quidem aliquot, qui expurgantia fere cuncta reiiciant hic penitus: POTERIVS, WILLISIVS, SYLVIVS: sed iniuria. Habent hi tales uiri sibi persuasum, aquas in locis concauis cumulas egeri non posse. Nam neque modum posse animo concipi, quo agant euacuantia in aquas extra uasa fusas; neque uias inueniri, per quas in intestina infundantur. Hydropem etiam a purgantibus magis exacerbari, ideo quod per illa serum sua intra uasa fundatur, atque ad loca affecta magis urgeatur. Denique id ipsum uel ipsos docere aegros, purgantibus extinctos. At ii quidem nimium quantum cauti sunt, dum illud, quod per se cauendum non est, simpliciter cauere uolunt. Cum nimium uidentur sapere, eo quod, licet uideant, uehementiore saepe catharsi



tharfi aegros esse restitutos, tamen uel ideo hoc modo tales restituere nolint, quod nesciant restitutionis modum: tum desipere, propterea quod a particulari ad universale argumententur, neque animaduertant, talem saepe morbi indolem, tantamque uim esse, ut superet uires remedii purgantis, ac eludat. Quod ad HIPPOCRATEM prouocant, qui scribit, superuenientem Hydropi fluxum alui citissime solere iugulare, nihil est. Sed uerba facit COVS de alui fluxu scirrho, corruptelaeque uiscerum superueniente, non reliquo alui profluuio, siue ars seu natura illud cieat, dummodo *nec uiscera*, ut idem ille loquitur, *gravius laesa sint*, *nec uires morbi diuturnitate fractae*. Praeclare. Nam quoties uel phthisin consequitur diuturnam hydropicus tumor; uel ex uisceris labe ac putredine enascitur; uel a sanguinis tono, si ita loqui fas est cum SYDENHAMIO, non tantum relaxato, sed et deperdito; uel a fluido neruorum penitus exhausto descendit; uel a longa fistularum, quae copiosam saniem egresserunt, in partibus carnosis mora prouenit; uel a nimia debilitate atque euacuatione aliorum quorumcumque humorum, quae mala creauerit siue saluatio, siue sudatio, siue purgatio iusto liberalior, siue diaeta tenuior, promanat: toties uero aeger non modo nihil leuabitur catharfi, sed in peiorem etiam, imminuto amplius uigore sanguinis, deducetur locum. Illud monendum quoque, quod si quis Hydrops uel pedes tantummodo occupet, uel etiam uentrem modice afficiat, tunc non omnino cathartica deposcat sibi, sed liquoribus calidis roborantibusque saepe cedat. Praeterea unusquisque hoc pro certo habeat, tantisper, dum uel corroborantia, uel alterantia alia unice tentantur remedia, nullum neque fortius, neque mitius expurgans afferendum esse. Euertet enim catharticum, quicquid corroborans substruxerit; tumorque usu roborantium imminui coeptus purgatione augetur. Etenim licet aquas educturi, non male simul corroborantia adhibeamus: ueruntamen ubi sola nobis sanguinis corroboratio fuerit proposita, tunc



tunc omnino necesse est, ut a catharticis abstineamus manum. Neque tamen semper, ut uolunt nonnulli. Quos aeque reprehensionem mereri putamus, ac illos, qui non nisi fortiter purgandum in Hydrope suadent. Purgationem fortiolem, immo uel nimiam SYDENHAMIVS certe debiliori uult anteponi, siquidem scribit, magni referre, ut diligentes obseruemus in omnibus hydropicis, ea cathartica, quae uel segnius, uel minus potenter operentur, officere magis, quam prodesse. Cum enim medicamenta purgantia ad unum omnia naturae sint inimica, quo nomine catharicos munere fungantur, sanguinem aliquatenus debilitare laedereque. Vnde, nisi corpus celeriter peruadant, et citissime expellantur, camerinam eam mouentia, quam secum abducere nequeant, et sanguinem tumultuose exagitantia, tumorem magis augere. Quod plus satis liquere in eorum pedibus, quibus alius ita leniter ac blande sollicitetur. Itaque cum Hydrops prae ceteris morbis quibuslibet catharsin et ualidissimam postulet, et maxime celerem, cumque in hoc morbo purgatio per epicrasin, quae in nonnullis aliis profit, nullatenus admitti debeat, utpote non tantum non imminuens tumorem, sed adaugens, eandem illam ob causam expurgationem paulo fortiolem, et nimiam iusto debiliori praeferendam esse. Idque uel hoc etiam nomine, quod Laudano non destituamur, certissimo ad hypercatharsin istiusmodi subito domandam freno. Herbam Sydenhamio LISTERVS porrigit, cui obiectio, quod hydragoga a se adeo enixe commendata pleraque sint deleteria, & mali moris, adeoque minus tuta, symptomataque producant fere lethalia, tantum abest, ut bilem moueat, ut potius sic respondeat, esse in grauissimo morbo, et casu desperato melius experiri uehemens consilium, quam nullum, cum praesertim drastice plerumque antidota, seu corrigentia addi soleant. Atque ea, quae proprie et peculiariter graui alicui morbo accommodata sint, facile tolerari, etiamsi eadem illa in integro, siue sano corpore, sine summo uitae periculo dari non potuerint.

Huc



Huc accedere, quod in Ascite, ob aquae copias, saeuitia medicamento uel ferocissimi uix sentiatur. Nos, an simpliciter ob rationes adductas probanda sint *LISTERI* ac *SYDENHAMII* uehementiora consilia, merito dubitamus: eadem uero cum temperamento quodam amplectenda censemus, eo magis, quod in *Listeri* libro, qui aegrorum suorum historias singulorum accurate perscripsit, inueniamus, et plures ex usu hydragogorum fortiorum periisse aegros, quam euasisse: et restitutos, recidiuo quoque Hydrope, peremptos esse. Quod cum nec ipse diffiteatur, in eo se secutum *HIPPOCRATEM* professus, non nisi casus funestos, ac si potioris doctrinae iidem essent, tradentem; eo cautius censemus agendum in fortiorum exhibitione hydragogorum. Nostra uero haec est sententia, in corporibus firmis, ac robustis, et quae uiribus ac uisceribus integris gaudeant, talem, tamque uehementem curationem locum habere posse, et, ubi malum etiamnum sit recens, et, ubi magna aquarum extra uasa profusarum copia, et, ubi eadem non in omenti cavitare, aut peritonei duplicatura, aut in quibusdam uesiculis uelut sacculis sint inclusae; uerum in ipso potius fluctuauerint abdominis cauo: ex aduerso uires debiles, et laesa euidentissime uiscera, et grauius affligentem lentam febrim cum appetitu prostrato, siti intensa, urina lixiuiosa, tumore pedum oedematoso splendente, respirandique difficultate, ac anxietate frequenti pectoris, et denique singularem aegri constitutionem, eandemque sic comparatam, ut ille uel purgantia plane ferre nequeat, uel a lenissimo laxante in hypercatharsin incidat, fortiora hydragoga prorsus omninoque repudiare. Et tamen, sicubi locum inuenerit fortius hydragogum, nolim cuncta iuxta habeas, putesue, perinde esse, quodcunque eligas, adhibeasque. Commendat iis, qui non nisi aegre purgantur, *Elaterium* et infusionem *Croci metallorum* *SYDENHAMIVS*: illis autem, quibus aluus cietur facile, *Syrupum de Spina ceruina*. Cum *Sydenhamio* consentit de *Elaterio* *LISTERVS*, idemque una cum *PLINIO* ad magnos

D

mor-



mortalium usus confectum pronuntiat: WILLISIVM contra ab Elaterio caueri iubentem acriter pungit. Nequeo igitur, inquit, satis mirari nostrum Willis; ubi in hunc sensum, quantum intelligo, perbibet, illos, qui Elateria aliqua pharmacia utantur, cane pejus et angue uitandos esse. At egregius hypobesum artifex nimium inconsiderate haec protulit, antiquis Medicis uel prorsus neglectis, aut certe inconsultis; a quibus tamen amplissimus nobis de re medica thesaurus summa fide uerborumque integritate traditus est: stet itaque honor suus Elaterio. Adeo nec ipsum sanguinem, nec partes organicas, ut uoluit, corrumpit; sed potius reficit, restaurat, corroborat. Dissentit a Sydenhamio, quod est ad infusionem Croci metallorum, iubetque eam fugere, eo quod sitim immane quantum acuat, cum triplo plus sit superbibendum uehicularum ad languores, atque tormina uentriculi lenienda, quam aquarum inde exterminetur: tum ascitici, quippe uehementer anhelosi, uim illius emetici duas efficacem horas perpeti sine fatali animi deliquio non queant: tum denique aquae commodius purgantibus proprie dictis eiiciantur. Ac licet Sydenhamius non omnino propter emeticam infusi uirtutem illud propinandum duxerit, propterea quod eiusdem operatio in catharsin τὴν κατῶ terminetur: attamen neque eam ob causam probat Listerus; idque ideo, quod purgatio per aluum facta maior sit futura ratione potionis in infinitum necessario insuper bibendae, quam ratione uirtutis purgatricis medicamenti. Atque et nos eas ob causas abstinentiam suademus a Croco metallorum, nisi eo casu, ubi per emetica aliquid possit effici boni. Idem nos putamus cauendum esse ab Ebuli radice succo, quoniam non sine nulla stomachi offensione ille operatur: cauendum item a Gummi Guttae; neque tam ideo, quod uel incertum sit, ut est apud LISTERVM, quo trahat humores, uel incognita sit plane eius progenies, quemadmodum ETTMÜLLERO uisum est; quam eam ob causam, quod, sicut LINDANVS testatum facit, ab

ab



ab eo, quod dixi, Gummi exulcerentur pulmones, et, uel teste experientia, ingentia uentris tormina comitentur ipsius usum. Pergimus ad alia, statuimusque draastica, ex regno petita minerali, minus tuta esse: Atramentum sutorium, Chalcytiden, Misin, Sori, Lapidem Lazuli et Armenium, Aeruginem, Squamamque aeris, ac ipsum, quo liberatum Carolum V. ab Hydrope per Bæsdorpium ferunt, aes ustum. Eodemque loco, numeroque habeo Mercurium Vitae, et alia eiusdem generis, idque eas ob rationes, quas SENNERTVS, WILLISIVS, LVDOVICVS iam dudum prodiderunt. Duo tantummodo nos hydragoga magni facimus, omnibusque reliquis anteponenda iudicamus: Elaterium, et Iridis succum: haec tamen et ipsa caute propinanda. Ac Elaterium quidem, utut tam feliciter aquam abdominis cauitate comprehensam, quam quod maxime educat, neque item tanta cum molestia et labore, quantum sibi persuadet uulgus, id ipsum efficiat, quemadmodum dudum ante Sydenhamium et Listerum MASSARIAS, Elaterio ultra annos XXX. feliciter, frequenterque usus, obseruauit: tamen nihilominus, quia nonnihil uehementiae coniunctum habet, prouide est usurpandum, neque plus, quam grana eius vj. eademque sola exhibenda; quin etiam corrigendum uel Tragacantha, uel Bdellio, uel Psyllio, uel Cinamomo, aut admiscendum mitioribus, ut Pilulis Cochiis maioribus, Aleophanginisue. Nec minus Iridis nostratis succus circumspecte dandus, quia fauces facile laedit acrimonia sua. Qua de causa eius uncia semis, aut una, cum Manna, Melle, mucilagine Tragacanthae, syrupo Violarum, et, ne uentriculum debilitet, aqua Cinamomi miscenda; uel etiam de sententia ERASTI cum uitello oui exhibenda, aperto ouo in parte acutiore, et albumine eliso, locoque uacuo succo Iridis repleto: quae deinde commiscenda, ac tepefacienda. Quorquot ceteroquin amant fortiora purgantia, facient optime, si interponant et stomachica, et amara, in quibus eminent Absynthium, quod siue zytho infusum, siue decoctum, siue extra-

D 2

ctum,



etum, in essentiaeque forma sumptum, nobile est remedium, nec facile negligendum. Neque tamen uerba nostra de intercalandis amaris sic accipias, quasi purgationem uelim per longa repeti interualla. Id enim uniuerse tenendum de cathartics, hydropicorum curationi dicatis, ut iis aquae ea maxime celeritate exhauriantur, quam aegri uires ferre queant. Potest aeger, si ferunt uires, singulis expurgari diebus: potest, immo & debet, si uel uires non respondeant, uel cathartici proximi operatio paulo fuerit uehementior, dies unus, itemque alter nonnunquam intercalari. Namque si non nisi post longiora temporis interualla resumatur purgatio, aquis recolligendis, ac de integro surgentibus, tamen si copiosa antecesserit catharsis, dabitur locus: fietque, ut, uictoria parta uti nescii, pulsus, re infecta, in fugam turpissimam coniiciamur. Adde, quod periculum est, ne aquarum inter uiscera mora diuturnior eadem putredine quadam corripiat, inficiatque. Adde insuper, quod aquae, antegressis cathartics, in motum actae, dandam ad noxam capaciores sint, quam tranquillae. His itaque de causis omnibus elaborandum est, serosa ut colluuius, quam fieri possit, celerrime reiciatur: neque ab eo negotio, nisi urgente necessitate, ferendum, usque adeo, donec cuncta moles aquarum fuerit exantlata. Re ea perfecta, uentrem necesse est, qui nunquam, nisi re plane desperata, uiolentam post catharsin manet tumidus, detumesce-re. Ceterum caue, uentre exinanito plane agas otium, otiosumue spectatorem. Nec satis enim aquas subduxisse: sed opus praeterea, ut, iis subductis, uiscera roborentur, ne breui aut malum pristinum redeat, uelut ex insidiis, aut alia, et ea grauiora superinducantur. Quid praeterea de drastico teron exhibitione uideatur monendum, uix nobis occurrit, nisi hoc, ut, ubi uel maxime hydragogon cum ratione, neque infeliciter, dederis, caueas sedulo, idem ne tibi, LISTERO quod usu uenit, eueniat, quem una cum curationis sociis ob medicamenti saeuitem aegra dimisit. Quanquam id quidem magis est prudentiae, quam sci-

sci-



scientiae; quo nomine rem eam missam faciamus, quid de lenioribus cauendum sit purgantibus, breuiter, strictimque dicturi. Damnantur simpliciter cum ab HEVRNIO, tum multis ab aliis; nec temere: cum primis autem ideo, quia nulla uideatur intercedere proportio inter uim medicamenti, et copiam aquarum eliminandarum: nulla porro inter id, quod educatur, et id, quod inter educendum denuo generari possit. Quicquid huius rei sit, fuisse tempora, ubi leniora illa iterata iuuerint, loquitur experientia, eademque et permouit STRAVSIVM, ut praestare scripserit euacuationem uentris per ἐπιήρασιν, quam semel factam: et RIEDLINVM, ut moneret, ne desisteretur ab iterata leni euacuatione, si ea cum maxime initio non statim officium faceret exoptatum. Scilicet, ut guttae sunt, sic euacuationes sunt moderatae: utque illae saepe cadendo lapidem cauant, sic hae saepius repetitae leuant. Estque omnino consilii, quotiescunque per alias uias emigrare aquae nolunt, et uirium imbecillitas fortiores respuat, confugere ad leniores purgationes. Idque censuit, nisi omnia nos fallunt, TRALLIANVS, qui: *Satius est, inquit, paulatim, et tuto euacuare, quam festinando, perturbandoque, una cum morbo aegrum tollere.*

## CAVTIO VIII.

**C**aeue, Vomitoria in Hydrope reici-  
cias.

Non solum ex ueteribus damnat uomitum in Ascite TRALLIANVS; sed non pauci quoque dantur inter nostrorum pragmaticos temporum, qui uel eam ob causam emetica in hoc genere proscribunt, quod nullam uideant uiam, qua serosa abdominis colluies ad uentriculum duci queat. Hanc insuper ob causam abstinendum ab emeticis censent, quod leniora nihil



urgeant, et nauseam cieant: fortiora et imbecillioris uentriculi tonum laxent, et uiscera infirment. Accedere, quod libere moueri nequeant abdominis muscoli. BARBETTII quoque haec est sententia. *Metuo uomitus uiolentiam: non etenim solum assumpto medicamento uentriculum turbat, aegrumque reddit anxium; sed et stomachum ita debilitat, ut nunquam postea cibos pro uoto aegri concoquat, quod saepius obseruauit. Utatur quisque hic suo sensu: ego uomitum nec amo, nec instituo.* Attamen et scriptum legimus, ui naturae, motuue spontaneo, serosos quandoque ab hydropicis humores per uomitum reiectos. Quid? quod casu praeuia uomitione sanationem Hydropis factam, CELSVS reliquerit scriptum. Is enim Metrodorum, scribit, Philosophum, eundemque hydropicum alternis uicibus multum bibendo, et plus euomendo, conualuisse. Ut ad nostra reueramur tempora, hydropicus quidam, idemque pro perduto habitus, ut apud FORESTVM legimus, mari iter fecit: molestis obrutus uomitibus, quales primum nauigantibus fere accidunt, ab Hydrope liberatus, reconualuit. Vidimus de exemplis: addamus rationes. Quidni sequatur uentriculi, uiscerumque, ab insigni aquarum corruatione quasi circumseptorum, euacuatio per ductus, communi naturae lege, haud satis licet, patentes, in tanta corporis, quae est a uomitu, concussionem et agitationem? Emetica uero non modo deorsum eiicere aquas, uerum etiam sursum, satis notum est ex illo impetu, quo inter ipsa uomitionis interualla unda maligna erumpit: neque illa tam secretoria medicamenti ui elicitur, quam ruptorum quasi repagulorum, siue claustrorum, quibus reueratis pleno ueluti alueo effunditur: cuius rei exemplum, et fortunatum prodidit SYDENHAMIVS. Scilicet uomitu soluuntur cuncta tenacia: concutiuntur obstructa: expelluntur stagnantia. Non potest ergo non fieri, quin in Hydrope admodum sint proficua uomitoria, utpote quae et materiam per os eiicant, et ut plurimum simul anum euacuent, imo etiam, ne quid dissimulem, diuresin saepe con-

con-



concentent. Sed danda tamen cum grano salis, id est, danda Hydrope ineunte, non confirmato: danda, si qua sit ad uomitum propensio: danda, si grauior urgeat dyspnoea, cuius subitum uomitio remedium: danda denique, si Ascites fuerit grandior, et ingens undarum moles collecta, uentre in tumorem insignem eleuato. Leniore enim tumens mole non ita facile obsequitur emeticis. Addo illud, danda esse emetica non leniora, cum nec fortiora constet hoc in affectu officium semper fecisse suum, siue quod in hydropicorum uentriculis aliquid materiae stabuletur, uim emeticorum quod eludat: siue quod partim ob humorum lentorem, partim in uasis glandulisque inopiam hydropicorum uenter aegre commoueatur: siue quod uentriculi adsit atonia. Vnde Mercurii uitae gran. ij. vel iij. quae alias abunde sufficiunt pro uomitorio, hydropicum non mouebunt. Sed feminis, caue, des emetica, quae facile dolores capiunt hystericos. Vis enim emeticorum uiolentior uapores, quos uocant, usque eo concitat, ut affectum hystericum procreet grauissimum. Minus adeo tutum laceffere in iis hominibus Hydropem. Vnum addo, mirari me, quid LISTERO uenerit in mentem, qui SYDENHAMIO, conterraneo, emetica commendanti, adeo feruide contradicat, ut scribere non dubitet, laudes, quibus emetica afficiat, forsitan uota tantummodo esse Medici inexperti, et emetica nec a quouis Medico, nec a Sydenhamio ipso in curando Hydrope propinata; cum tamen constet, certumque sit, hydragoga pleraque, succum puta radicis Iridis nostratis, Elaterium, Sambuci corticem interiorem hydropicos potissimum quidem curare per inferiora, ut plurimum tamen etiam mouere uomitus: et ipsemet LISTERVS uomitus, a Magisterio suo Veneris, succo Ebuli et Elaterio, cum euphoria coniunctos, in aliquot aegrorum suorum historiis narrauerit.

CAV-



## CAVTIO IX.

**T**utissima licet sint omnium anti-hydropicorum diuretica; attamen multa cum cautione sunt danda.

Insuper habet diuretica MARCELLVS, ac uituperat ratus, nulum adhuc esse hydropicum per urinas leuatum: sed errore ducitur. Multum prodesse diuresin cum in Hydrope in uniuersum omni, tum in primis in eo, qui est abdominis, cum RONDELETHII, aliorumque, tum nostra ipsorummet nos edocuit experientia. Eadem uero tutiora longe esse, et purgantibus, et sudoriferis, et aliis, in Hydropis cura solitis euacuantibus, uel ex eo praeterea intelligas, quod nihil minore uirium lapsu euacuet, quam diuretica. Quocirca, quoties uel habitus corporis infirmior est, aut tenerior, purgantibusque impar sustinendis; uel femina uaporibus, aut *ὑπερταξίαις* liquidi neruei ualde obnoxia; uel alias ob causas, quas supra commemorauimus, cathartics, nedum emeticis nequeat locus esse: toties aquarum egestio uidetur committenda diureticis. Et tamen, utut sint tutissima diuretica, non sine omni, ut initio monuimus, danda sunt circumspectione. Ac principio tunc abstinendum diureticis, cum associata est Hydropi uel Ischuria, uel Ischuriae causa, quae diuretica per se respuat. Tum si a solutione continui organorum, urinae secretioni excretionique seruientium, inundatio fuerit abdominis. SENNERTVS tunc tantummodo dari praecipit diuretica, ubi materia serosa ad uentrem sit confluxura, haereatque in iis, quae sunt ad renes, uis: non item, in uentre si contineatur. SORBAITVS autem remediis aliis omnibus tunc tantummodo praefert diuretica, cum urinae parca reddantur mole, tegulae contritae faciem praeferentes. Profecto non danda diuretica, nisi praemissis aliquot purgantibus, corporibus  
prae-



praesertim vitioso humore repletis. Aliter si fiat, experiere adeo non profutura diuretica, ut malo indies sint maiores additura vires. Praeclara in eam sententiam est ETTMÜLLERI sententia. *Diuretica reuera sunt bydragoga, cum naturae sit mos, et consuetudo, per vias urinarias superfluum serum naturaliter expurgare: unde, praemissis necessariis uniuersalibus, bis imprimis insistendum. Dico, praemissis uniuersalibus. Hoc enim omnes praecipiant Practici, ut diuretica non prius exhibeantur, quam uniuersalia, attenuantia, aperientia, et laxantia fuerint praemissa: alias non tuto ad diuretica acceditur. Intempestiuo enim eorundem abusu impeditur urinae fluxus potius, quam ut hic promoueatur, et adiuuetur, quippe omnia specifica antihydrica ui diuretica insignia sunt.* Haecenus Etmullerus, cui dum consentio, et, diureticis praemittenda purgantia, existimo, non hoc tamen uolo, purgantibus semper, quod ipsum iubet WALDSCHMIDIVS, adiungi diuretica debere. Ego enim, qui nihil aequae auersor, quam fines, toto diuersos coelo, una eademque remediorum formula, uelle assequi, ab incondita eiusmodi remediorum mistione manum omnino cohiberi uelim. Ex quo intelligi potest, non esse hoc quidem loco audiendum ETTMÜLLERVM, qui praecipit, ac iubet, ut diuretica semper corroborantibus ac moderate adstringentibus, u. g. martialibus, temperentur. Neque enim metuendum, ne sanguinis crasis, seu textura, fusione nimia diureticorum penitus dissoluatur: neque etiam, si uel maxime id metuendum esset, tale auxilium a martialibus, admistis diureticis, sperandum. Ceterum, cum uarii sint generis diuretica, sedulo, quae accommodes, circumspiciendum. Atque sunt, qui fixis plus tribuant, quam uolatilibus. Hos inter DOLAEVS est, qui spiritum salis ammoniaci apicem uocat diureticorum; et RIEDLINVS, qui sali uolatili tartari multum tribuit; et forsan ipse WILLISIVS, qui eo casu fixiora non probat, ubi urina pauca, et rubra, et quasi lixiuialis existit, sanguinisque crasis a sale fixo et sulphureo exaltato,

E

simul-



simulque combinato nimis stricta est. Ibi enim lixiuialia, et omnia tartarea, hoc est, diuretica optima, dissuadet. Nec ego met uolatilia diuretica in Hydrope curando reiicio, eo praesertim, quem uel mensium, uel haemorrhoidum cessans fluxus aut effecit, aut fouet. Sed tamen experientia edoctus noui, fixiora salia longe certius, longeque tutius, ac sine ullo metu sanguinis rarefaciendi facere officium, longeque largius exhaurire hydro-picas aquas, quam facere uolatilia soleant. Placent uero ex salibus fixis salia lixiuia, atque ex hisce cineres Genistae, aut stipitum Fabarum, quorum alterutrorum libra una, una cum pugillis quibusdam foliorum Absinthii, in uini Rhenani libris quatuor frigide infusa, medicamentum praebet, cuius, filtratione colati, unciae quatuor mane, a meridie, et sero iugiter haustae, usque dum tumor euanuerit, Hydopes, pro deploratis habitos, curarunt. Mirandus hinc WALDSCHMIDIUS, qui mixturam ex sale genistae, absinthii, stipitum fabarum, ueronicae, iuniperi, ebuli, et tartari diurectici, tantum singulo mane ad drachmam semis propinare iubet. Tantilla enim dosi nihil promoueris. Neque uero est, quod unquam metuas a lixiuiae acrimonia, quasi haec forsan corrodere, et pungere uiscera interna, et serum, in cauitate abdominis restagnans, exagitare possit: neque porro opus, ut, quo caueatur erosio, quemadmodum WALDSCHMIDIUS submonet, syrupos addas lixiuiis, aut clystere anodyno, ex lacte confecto, temperamentum adhibeas. Vanus namque iste metus est, praesertim cum uino lixiuia parata fuerint: quale lixiuium, auctore SYDENHAMIO, commendo, quanquam is ipse lixiuii non fuerit auctor. Fuit quidam Hebraeorum magister, cui nomen fuit LEVIATHAN, sicut didici ab HEVRNIO. Possem alioquin, praeter istud lixiuium, commendare et salem, et cineres bufonis, quorum laudes WIERVS propemodum incredibiles decantauit: sed, quo minus faciam, prohibet acrimonia ea, qua gaudent insigni, DOLAEO et iudice, et teste. Equidem plura hic transcribo, quam credo, ut Curtii utar formula: at-

tamen



tamen et iudico, inconsultae esse temeritatis, et prudentiae medicae aduersum, uti uelle medicamentis, quae pluribus Medicis suspecta uideantur. Potius huius loco commendarim Nitrum, idemque reliquis salium generibus in tollendo Hydrope tunc antetulerim, ubi intolerabile huius morbi flagellum, sitis, nimirum excruciet, qui norim, et MAYERNIVM, et RIVERIVM, nitratis medicamentis plures restituisse.

## CAVTIO X.

**C**ave, nimium tribuas Sudoriferis.

Nihil movemur auctoritate HELMONTII, praeconis diaphoreticorum decantati. Ex eo si quaeras, quonam modo duo hydropicorum millia restituerit, in promptu erit responsio, restitutos esse Mercurio diaphoretico, id est, sudatione. DOLAEVM quoque scimus praecipere, corpus ut hydropicum assidue maeat: eundemque ex facili sudoris profluvio bene de morbi exitu ominari. SYLVIVM item nouimus uelle, prouocari, in fero hydropico remouendo, sudores, eosdemque cieri internis aequae, ac externis remediis. Ex illo genere suadet confecta ex Guaiaco, Sassafras, Iunipero, Quercu, Buxo, Apio, Foeniculo, Angelica, Imperatoria: ex altero genere commendat accensum uini spiritum, itemque sacculos, qui uegetabilia sicca, aut salem tostum contineant. Sed laudent diaphoresin licet, quicumque uelint, nobis tamen ea nunquam placebit ratio, quae aegros quam rarissime restituat. Nam felicioris curationis exempla, quae inueniuntur apud Scholiographum HOLLERII, BARTHO-LINVM, CORDAEVM, SCHENCKIVM, SALMVTHVM, LANGIVM, et LIPSIVM, singularia partim sunt, partim eiusmodi, ut parum huc pertinere uideantur. Alia criticam euacuationem praeferunt: alia aquarum non tam in cavitatibus



corporis maioribus, quam intra glandulas, uiscerumque substantiam, et uasa habitationem: alia Anasarcam magis, quam Asciten: alia uesicularum, quibus aquae nonnunquam incarcerantur, cum uasis sanguineis communicationem praestruunt: alia denique immensam quandam pororum cutis dilatationem in beneficiis numerant. Sudores plerisque hydropicis fraudi sunt, ac perniciem afferunt, exitiumque parant. Massa quippe sanguinea, datis diaphoreticis, magis magisque funditur, eiusque serum quasi praecipitatur, neque minus ad interiora, cauaque loca, quam in poros ruit cutis: aquae etiam, in locis cauis fluctuantes, magis exaestuuant: humorum denique, liquidique neruei motus conturbantur. Quibus rebus fit, ut male cedant sudores aegris, et febres, dolores capitis, uertigines, anxietates enormes, pectoris angustias, animique deliquia excitent, sitimque intendant, ac uires exhauriant: tantum abest, ut abdomen subsidat, collabascet, ut intumescat potius in maius. Quae ut minime latuerunt alterum ab Hippocrate artis nostrae parentem, SENNERTVM, ita iudicauit, summa cautione sudoriferis utendum esse. Ego quidem, nisi sponte sua sudores erumpant, nisi omnis abfuerit hecticae & tabis suspicio, nisi morbus fuerit in declinatione, tumorisque crurum tantummodo restet dissipatio, nisi praeparati ante fuerint humores eliminandi, nisi denique robustior fuerit, et ad sudandum facilis ac pronus aeger, sudorifera adhiberi iusserim nunquam. Atque eadem, ubi danda uidebuntur, sic adhiberi uelim, ut, ubi semel in sudores diffundi coeperit aeger, sudare non desistat. Ita enim et aperti manebunt corporis pori, et exitus aquis patebit egressuris. Contra ea sudoribus interruptis, collabentibus poris, augetur postliminio aqua. Hoc facto, agendum actum, maioreque labore, priore irritato, opus. Negotium ceteroquin omne agendum lente, ac moderate: idque partim ideo, ne aeger Dispnoea, qua ferme affligitur, suffocetur: partim, ne uires atterat, prosternatue uiolentia sudoris.

CAV-



CAVTIO XI.

**S**aliuationem hydropicus fugiat,  
iuuenis pariter ac senex.

Senes hoc admonet RIEDLINVS, quando exemplum recen-  
set iuuenis Hydrope desperato per inunctionem mercurialem  
liberati. Ego, omnes cauere, iubeo. Difficile dictu, qua ra-  
tione purgantia aquas extra uasa fusas in intestina compellant:  
difficilius, quonam modo, ope Mercurii, glandulas ad saliuales  
duci queant. Accedit, quod uix unum uel alterum reperiatur  
felicis saliuationis exemplum. Ac primus quidem uidetur SYL-  
uius curationis eiusmodi auctor: sed tamen, si uerba eius pau-  
lo inspicio attentius, ea uidentur esse potius consilii, quam ex-  
perimenti. Atque adeo sunt istaec: *Contingit quidem aliquando,  
licet rarius, saluatio sponte: quod in hisce regionibus factum  
nonnunquam obseruauit, et quidem cum notabili aegrorum com-  
modo et liberatione a morbis chronicis, a pituita semper penden-  
tibus.* Quae uerba dum expendo, hoc mihi uenit in mentem,  
Syluium, etsi nullius hydropici saliuatione restituti memorem,  
curandi illam methodum, quod sciuisset in aliis nonnunquam  
morbis chronicis meruisse laudem, ad Hydropem traducere  
uoluisse.

CAVTIO XII.

**A**b acidis et opiatis cauendum  
plane.

Talia, quantumcunque laudent alii, prorsus et omnino fugi-  
enda ducimus. Laudat BOERHAVENIUS ac probat eo ipso,  
quod quaerit: Cur acida saepe tantopere profint in hoc morbo?  
Atque nos negamus prodesse quicquam, prodesse unquam.



Cum ratio nos destituit, quae permoueat, ut pro salutaribus habeamus: tum consensio pragmaticorum. Hi praebendis acidis abhorrent usque adeo, ut si uel inuitissimi permittant aegris, leuandae sitis gratia, siue collutionem oris, aqua spiritu Vitrioli acidulata perficiendam, siue Limonum aut Tamarindorum in ore masticationem, semper tamen id uelint cauendum, ne quicquam illarum rerum deglutiatur. Abstineamus ergo et nos tantisper ab acidorum usu, donec certiora de eorum excellenti in Hydrope usu fuerimus edocti. Cauendum uero, neque cauendum minus ab opiatis. Apud BARTHOLINVM quidem, LANGELOTTVM, BIERLINGIVM et WILLISIVM, legamus exempla Opii, quod uim suam in Hydrope comprobauerit: sed hoc sciendum, id casu, ac per accidens euenisse, nec forte Opium, sed aliud anregressum, euentus extitisse optati causam, siquidem eum ipsum ipsi, quos dixi, mirati sunt, stupueruntque uiri. Verius MOELLENBROCCIUS narcotica esse necrotica censuit iam dudum: et animaduertit WALAEVS, hydropicos uel ex grani usu unius emortuos. Tantum abest, Opium ut uel suaferim, uel dederim, ut ne quidem tunc probauerim, ubi uel tussis, uel uigiliae, uel alia urgent symptomata. Semper enim compertum est, non modo nihil promouisse Opium, sed multum etiam nocuisse, uiresque uehementer deiecisse, uiscerumque actiones, per se satis debiles, multo magis repressisse. Ne dicam, Opium in aliis datum affectibus, chronicis illis atque acutis, languentibus adhuc aegris, ipsum accelerauisse Hydropem. Sed quid de Martialibus? Eodemne haec habenda loco, quo acida et opiata? Ita quidem uidetur uelle SYDENHAMIUS, WILLISIVS, DOLAEVS: sed tamen id uoluerunt ita, ne assumerentur morbi in statu. In morbi alioquin initio non modo Martem non prohibent, sed ne quidem infimum ipsi locum attribuunt, ut qui sanguinem inde uigescere, calefierique sibi persuasum habeant, praetereaue humorum attemperari acrimoniam, eosdemque nouas subire fermentationes, opinentur.

CAV-



## CAVTIO XIII.

### A remediis externis abſtine.

Haec VOLCKAMMERI eſt cautio, pluriumque aliorum. Cautio-  
tionisque eſt ratio, quod longe altiores egerit Hydrops radices,  
quam ut iis, extrinſecus quae applicantur, educi queat. Haec  
adeo cum fūco comparat WALDSCHMIDIVS: at idem uero ille, eo  
ipſo, quod ſpiritum Iuniperi, et Vini alcohol tartariſatum, uult  
eximium, ipſe facit fūcum. Graue plane eſt, et ueritati maxi-  
me conſentaneum, SYDENHAMII de externis hoc iudicium.  
*Topica, ſiue remedia externa, quantum ego obſeruare potui, nihil  
egregium in hoc morbo praſtiterunt unquam. Ea minus ſaltim  
nocuere, quae in forma ſiue cataplaſmatis, ſiue linimenti, abdo-  
mini ad tumorem diſcutiendum fuerint applicata. Neque tamen  
uideo, quo pacto aquae poſſint diſcuti.* Palliativa eſt, ſi qua eſt  
omnino curatio ab externis: ad ſummum talis, quae ſolis me-  
deatur ſymptomatibus, et imminentem inflammationem, gan-  
graenamue prohibeat, praſentem tollat, et ſi qua ſint alia eiuf-  
modi. Tum uero, quando his obuiam eundum, ego ſane plus  
aquae chirurgorum benedictae, quae calcis uiuae infuſio eſt,  
uel ſimplici, uel camphoratae tribuerim, quam epithematibus  
ex uini ſpiritu praeparatis. Eſt, ubi externorum applicatione  
perniciēs concilietur potius, quam feratur auxilium. Fit certe,  
cum ueſicatoria cruribus tibiisque ſuperimpoſueris, in primis  
ubi cutis admodum fuerit tenſa, ob aquas tali pacto euellendas.  
Ita uero ipſa inuitatur gangraena, Hydropi perſamiliaris, dum  
calor natiuus aquarum mole prope extinguitur, liquidumque  
nerueum deeſt. Quod ſi membris, ueſicatorio laceſſitis, e-  
aſtici fluidi reliquiae irritatae, locisque ſuis motae et eiectae,  
exſpirent et ipſae, ecquid iam aliud, praeterquam caro putrida,  
ſucciſque pariter, et motus, uitaeque expers remanſerit? Eſtque  
notiſſimum in hydropicorum carnibus, in membris in primis  
propen-



propendentibus, uulnus uel lenissimum sanatu per esse difficile. Namque est ipsa partium solidarum substantia in membris eius generis usque eo irrigua, usque eo turgida latice, ut, data quacunq[ue] rima, continuo cursu profluat humor, cuius causa conglutinatio uulneris praepediatur. Idem uero esse debet metus inflammationis, nisi ipsius gangraenae ab unguentis abdomini illitis, iisdemque confectis ex cathartica fortioribus. Etenim uis ingredientium cathartica tantopere nonnunquam musculis, membranisque impingitur, ut excitetur hypercatharsis, nullius ope remedii unquam sistenda. Laconica uero, si qua uocentur in auxilium, sic usurpanda, ut PLATERI ne negligatur cautio ea, quae uult, monetque huc attendi, ut ne uel suffocationis adeat periculum aeger, uel eius uigor minuatur, uel sanguis eiusdem exagitatus incendi ueluti uideatur. Non abs re quoque duxerim proponere ZWINGERI admonitionem, ut, si quando sudores detumescentiasque uaporibus herbarum sale uolatili oleoso praeditarum prouocare uelimus, circumspiciamus etiam atque etiam, an ferre tales membra queant aegrotantium, prouideamusque, ne quod ab ea re metui possit inflammationis periculum. Tandem uero etiam de clysteribus monendum puto, tali remedio, quod non iniuria inter externa referatur. Eos quidem non nescio uehementer suaderi a Leon. FUCHSIO, DECKEROQUE, tunc maxime, cum pectoris capitisque urgent symptomata, quoniam serum e uasis, et substantia intestinorum, ac mesenterii, sine totius massae sanguineae exagitatione proliciant, ita, ut illa depleta, serum extrauasatum aliquantulum imbibant. At enim uero, esto: reiiciatur nonnunquam ope clysmatum aliqua peccantium aquarum copia: ideo tamen tumor abdominis raro remittit: ut parum praesidii in clysmatis relictum uideatur, uel uicies iniectis. Operantur iusto lenius, nec morbi respondent grauitati, uimque afferunt Hydropis uehementiae minus, quam pro eo, ac par est accommodatam, colonque tantummodo, iuxta ac mesocolon attingunt, afficiuntque.

CAV-



## CAVTIO XIV.

## Cave a Chirurgis.

Ex nullo fonte minus auxilii in Hydrope, quam ex chirurgico. Venae sectionem in omni Hydrope permittit AVICENNA: parum caute. DOLAEVS, pluresque alii, iubent fugere ut pestem: nimis solliciti. Equidem complures ea requirit cautiones. Vix dissuadenda in morbi initio, aut, ubi urget plethora, rara auis, aut, ubi siue oppilatio mensium, siue haemorrhoidum suppressio origo affectus, aut hepatis, aliorumque uiscerum subest aestus, aut febris accedit acuta, aut Dyspnoea subito superuenit, aut denique uigor uirium sibi etiamnum constat, pariter ac uiret aetas. Horum aliquid ubi adest, tempus anni praeterea, si possibile, legendum uernum. Incredibile dictu, quantopere hydropicos phlebotomia exanimet. Tantillo, qui superest, sanguine exhausto, ecquid sequi potest aliud, quam et caloris interitus, et liquoris neruei ruina. His de causis igitur mortem appellat hydropicorum TRALLIANVS: ἀναισθησιον autem pronunciat MASSARIAS, ERASISTRATVSQUE memoriae prodidit, neminem suis repertum tanta audacia temporibus, uenam ut secaret hydropico. Sed propero ad alia, et ea chirurgica, quae praesentius forte leuamen spondeant hydropicis. Sunt, qui scarificationem probent in cruribus, utpote quam et GALENVS meminit, et AETIVS ex Asclepiade, Leonide, Hippocrate et Archigene administrare docet pluribus, et SENNERTVS proponit. Sed nihil melius, nisi multo peius, de ea iudicium esto. Raro benecedit: non raro inflammationem, dolores grauissimos, gangraenam aduocat: idque ob acris humoris affluxum. Itaque, quo effugiat conuitium Medicus, aut auertito scarificationem, aut eius mala, euentaue praedicito, summaque moderatione rem aggreditor. Eam autem tentabit in parte crurum carnosa, circa suras, leniterque cutim feriet, cum uel rupta solum cuti-



cula aquam reddat; uulnuscule etiam infliget satis distantia, et serum exsudans linteolo molli, procul omni frictione absterget, unguentoque albo camphorato, aut farina triticea, eademque cum puluere cretae albae, et oleo liliorum alborum, uel rosarum permista, partes muniet, quo inflammationem prohibeat; fascias denique saepissime permutabit. Veteribus sacrificatio placuit largior, et profundior, et dolorem afferens. At enim si lenior parum, aut nihil leuauerit, quid profuerit illa tam periculosa? Est autem et manus abstinenda ab illa, quae fit in talis, aut in tumente penis cute. Nolim facere periculum, licet factum sibi saepius, nec infeliciter, gloriatur FABRICIUS ab AQUA-PENDENTE. Eligendum tutius: tutior scarificationis omissio. Recordatur et WALDSCHMIDIUS, scarificationem nonnunquam profuisse: sed simul fatetur, profuisse non in uero Ascite, sed Anasarca. Si quid ualet scarificatio, hoc unum praestat, ut defluat aqua, habitum externum corporis inundans. Ita uero Hydrops nunquam persanabitur; sed tantum una cum uita paulo longius protrahetur. Ceterum nihil refert, siue acu, quam suadet WILLISIVS, siue instrumento chirurgico uulgari perficiatur sacrificatio, dummodo praeceps, nimiusque aquarum proventus inhibeatur. Aliam chirurgiam LISTERVS apportat, qui femora incidit: quod remedium eiusdem est farinae cum proximis. Vtriusque autem femoris parti posteriori et longam, et profundam infligit plagam: plagae linamentum tortile, instar penicilli, unguento imbutum Apostolorum imponit, eaque re aquas breui educit. Sed fucum uidetur facere Listerus, qui simul cum illa enchirisi et frequentem purgationem, et potus abstinentiam coniungit. Haec duo mihi certe uidentur, non Listeriana illa chirurgia, si quid hanc secutum boni, praestitisse. Caetera, qualiacunque illa demum fuerint, siue potentialia, siue actiua, cum in abdomine, tum in cruribus applicare haud satis tutum, adeoque summa et hic cautione iudicamus opus. Multum eis uendicat SORBAITVS, sed quo faciat iure, ipsummet

met



met audi. *Cauteria*, inquit, *in cruribus facta*, quamuis a multis improbentur, eo quod fiant ulcera difficulter sanabilia; et ad haec facile accedat gangraena: nos nihilominus optimo cum successu nouis huius naturae emunctoriis succurrimus; siquidem ipsum iecur et lienem exonerant, et aqueos humores intercipiunt. At, si quando accommodatis cauteriis succubuit Hydrops, unde norat uir bonus, hoc ipsum fuisse decus cauteriorum? Sine dubio id tribuit huius machinis, quod debuit uel medicamentis, uel ipsi aegrorum naturae. Certe, more Medicis perfamiliari, committit elenchum non causae, ut causae. Prouocant alii ad exempla Hydropis, facta spontanea pustularum in cruribus eruptione, et apertura perfanati: at egomet plurimum credo interesse, naturane, an ars uesiculas, exitusque quaesierit. Scribit SEPTALIUS, duos ex Hydrope laborantes sanatos se uidisse, uesicis in cruribus per se excitatis, et disruptis, multisque aquis per eas partes eductis: idem uero ille hoc addit, data in magna copia fuisse hepar roborantia: hoc praeterea, neminem illis ipsis quadraginta annis, quibus Mediolani fecisset medicinam, curatum se uidisse, cui a Medicis uesicatoria cruribus admota fuissent; sed fere gangraenas secutas esse, curatu difficiles. Cui FABRICIUS consentit HILDANUS: eoque magis displicet cauteriorum usus, ut uix in iunioribus, robustioribus, et quibus sat caloris est, suadere eadem sustineamus. Sed quid habendum de fonticulis? Non fodiendi hydropicis: sunt enim improporcionatum aquis hydropicorum euacuandis remedium: sed ualitudine integra inflicti, seruandi in Hydrope, immo et post Hydropem. Quid de Paracanthesi, uetustissima illa, et cuius ipse COVS meminit, operatione? Hanc uero non simpliciter reiecerim, quicquid contra ALEXANDER statuat MASSARIAS. Clamitat periculosissimam, neque se uidisse quenquam, cui non attulerit exitium. Illud facile negavit nemo, multos, rupto natura umbilico, aut abdomine casu perforato, aut ipsa denique administrata paracanthesi abdominis plane conualuisse. Si quis



exempla requirat, is SCHENCKIVM adeat, FORESTVM, HILDANVM, RIVERIVM, TVLPIVM, RHODIVM, alios: inueniet sexcenta. Oportet igitur sinistrum, si quis secutus fuerit, paracentheseos euentum non ab ipsa fuisse paracenthesi, sed ab inepta, minusque circumspecta operarum administratione. Ego uero nunc breuiter aperiam, et in Hydrope facere officium paracenthesin, si caute, si prudenter, solerterue instituat. Si morbus est uerus Ascites, si causa Ascitis est recens, si extrinsecus cito applicata, si uires integrae, si corpus inuenile, si uiscera bene constituta, neque alio morbo corrupta, si febris abest, si aqua nondum putrida, neque diu in loco stagnauerit, si uenter ualde turgidus, et ab aquis grauatus, si Hydrops non est uesicularis, siue sacculus, tunc statim suscepta facit officium paracenthesis. At enim, quotiescunque est occasio, et opportunitas instituendae, toties ferme aegri eam tergiuersando nobis eripiunt, paracenthesin diu refugientes, reformidantesque, neque nisi rebus iam dum acclinatis, desperatisue, uelut ultimum refugium admittentes. In tales igitur, non in paracenthesin culpa tragicorum paracentheseos euentuum una cum WALDSCHMIDIO, nec iniuria, conferimus. In tempore tamen ipsa cum suscipitur, caute instituat, oportet. Fiat paracenthesis ad tres pollices infra umbilicum: fiat eadem ad eandem distantiam a linea alba, mensura in corpore sano intellecta: fiat in latere, a fonte Hydropis auerso punctura, ope instrumenti idonei: fiat in aper- turam immissio cannulae, cum aquae sunt educendae: instituat denique emissio aquarum bis singulis diebus, minimumque quindecim dies eidem impendantur: interea uero temporis utendum cardiacis, roborantibusque, quo fiet ut felicem facile consequaris operationis exitum.

CAV-



## CAVTIO XV.

**I**n Hydrope praecipua cura diaetae esto.

Vt in omni morbo, sic praecipue in Hydrope ratio habenda diaetae. Omnium plurimae in diaeta cautiones: et altera Diaeteticae pars nihil, nisi cautio, id est, ea, quae de omittendis tractat. Praeceptionem de diaeta in curatione Hydropis et superuacaneam, et ignominiosam cum Arti, tum Medico, ducit PARACELSVS: huius enim curationem morbi in arcanis uersari. Si quis igitur Theophrasti arcana nescierit, ecquid is inceptet Medicus? quid agat? Velit, nolit, tamen respiciet ad diaetam, cuius habendam rationem cum ratio suadeat, tum usus. Si quis alius, Medicorum profecto Cicero, CELSVS, quid possit in Hydrope curando boni uictus ratio, sic ostendit. *Qui ex toto sibi temperare nequeant, ad salutem non perducuntur. Ideoque non ignobilis Medicus, Chryssippi discipulus, apud Antigonom Regem, amicum quendam eius, notae intemperantiae, mediocriter eo morbo implicitum, negauit posse sanari; cumque alter Medicus Epirotes Philippus, ipsum se sanaturum polliceretur, respondit, illum ad morbum aegri respicere, se ad animum. Neque eum res fefellit. Ille enim cum summa diligentia non Medici tantum, sed etiam Regis, custodiretur: tamen malagmata sua deuorando, bibendoque suam urinam, in exitium se praecipitauit. Hinc alibi idem: Hydrops facilius curatur in seruis, quam in liberis; quia, cum desideret famem, sitim, et multa alia taedia, longamque patientiam, promptius succurritur his, qui facile coguntur, quam quibus inutilis libertas est. Sed ne hi quidem, qui sub alio sunt, si ex toto sibi temperare non possint, ad salutem perducuntur.*



tota uictus ratione cauendum ab humido. Vnde et aër eligendus siccus, et cibi dandi aridiores, iusculaque parce offerenda. Erunt carnes assandae potius, quam elixandae, et eae non iuniorum, sed adultiorum animalium; nec pinguiores. Vt in uniuersum frixis butyro abstinentum censeo, nocentissimis alimentis: sic imprimis in Hydrope. Qua in sententia confirmor, RIEDLINVM legens, qui affirmat, esu pomorum frixorum reuocatum aliquando Hydropem, et illum lethalem. Sal culinare unam uocat ex Hydropis causis LISTERVS, secutus COELIVM AVRELIANVM, qui iam olim cauere uoluit a salitis. Quae si ita se habent, abstinentum erit a cibis, largiore conditis sale. Et, abstinentum utique, arbitramur. Quod enim SENNERTVS scribit, quendam halece integro consumpto, cum duarum spatio horarum nihil bibisset, ex Hydrope conualuisse, sententiae nostrae nulli est fraudi. Casu id factum: & larga diuresis secuta. Casui sese permittere temeritatis est: contraque sapientiae, uti consilio. Sed e diuerticulo redimus in uiam, praecipimusque, raro, aut nunquam, permittendos esse liquores tenues, eosdemque refrigerantes: aquam fontanam, zythum tenuem, decoctum hordei, Iulapia. Arrident quidem haec talia hydropicis, continue sitientibus: sed aquis obstetricantur, adduntque aquas. Dicas: scriptum legimus, hydropicos haustu aquae liberaliore restitutos in statum optatum. Non nescio, exemplum eius generis a CAMERARIO proditum: sed et hoc scio, unam hirundinem uer non facere, nec unum graculum hystem, nec unum exemplum regulam. Si sapis, quantumcunque etiam sitias, caue, restinguas sitim. *Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae.* Sed aquae, quo plus sunt potae, hoc citius maturant exitium. Sitis ista utcunque fallenda, non sedanda: nec multum potus simul, ac semel ingurgitandum. Quem fugit, ortum uel ab uno largiore Hydropem haustu? At, inquis: si ab aquae cauendum potu, ergone utendum uini? Nihil ab-  
nuit



nuit WALDSCHMIDIUS his uerbis: *Quamuis uinum in plurimis noceat morbis; hydropicis tamen salutare est, quia fermentum uitale restaurat, et sanguini robur addit: uerum inconsulte.* Nam neque uinum hydropicis commodasse semper, nec omnibus, compertum. Οἰνοποσία ne incipiatur ante, quam meatus quadantenus reclusi fuerint, et porta aquis data. Extremo cauendum a spiritibus, in primis ardentibus, eisdemque cum simplicibus, tum infectis mangonio. Nomina sunt Aquae uitae, Roris solis et alia. Culpam in tales congerunt Hydropis, in Britannia, Belgioque, frequentioris LISTERVS et DECKERVS: Anglus ille, hic Batauus: neque id iniuria. Carnes exedit uini spiritus, ea quoque pollens ui, ut coagulet. Vtrumque uitium est, ad generandum Hydropem capax, praeclareque adeo scripsit SENNERTVS, ab usu spiritus uini in Hydrope tantum non semper cauendum esse.

---

CLARISSIMO  
CANDIDATO  
S. P. D.  
PRAESES.

**E**legisti ipse, nescio quo fato, tale disputationis argumentum, quod minime quidem ab arte tua, ceterum moribus tuis, atque ingenio, uidetur maxime alienum. Magnam Hydrops cum superbia cognationem habet: quantumque affectus ille corpus,



pus, tantum haec uitii forma extendit animum, ac effert. Quo magis autem et tuam nobis, pluribusque aliis probasti industriam, et tantas ea re collegisti doctrinae opes, ut ueniam, nec aegre, impetraueris summa in studio salutari praemia, honoresque, ac priuilegia consequendi: eo minus tibi assumis quicquam, ac tribuis, eoque maiore animi modestia ab iis ordinis tui hominibus, quos, ut uerbo utar Apostoli, scientia inflare solet, ut, quemadmodum hydro-pici, quo plus aquarum sub cute alunt, hoc intumescunt in maius, sic iidem, quo plus doctrinae comparauerint, hoc insigniore animi fastu ueluti turgeant, te distinguis. Eo maiorem scientiae tuae fructum non modo hydro-picis; sed aegris in uniuersum omnibus, promitto, ut qui sperem, nihil te unquam, nec in posterum tempus, de industriae tuae assiduitate remissurum, eamque ob causam indies magis, magisque in arte nostra, cum melius excolenda, tum etiam exercenda, profecturum, magnamque adeo patriae utilitatem allaturum. Quae res ut bene, feliciterque eueniat, atque cum maximam tibi nominis gloriam, tum nihilo minorem Patri tuo, uiro sancto, ac reuerendo, gaudii cumulum pariat, concilietque, nihil dubito, quin credas, serio, ac praeter ceteros, totoque optare animo, ac precari,

## Clarissimi Nominis tui

*Vitembergae*  
*d. XIX. Aug.*  
*cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> CC XIII*

beneuolentissimum

PRAESIDEM







